

diocesi hactenus observatam de huiusmodi legato dimidiam habere debet portionem. Considerandum tamen est, utrum aliquid legatur plebano tantum aut aliquid ecclesiae tantum, aut simul ecclesiae et plebano. Si aliquid legatur plebano tantum, puta si legator vel testator exprimit, quod velit istud tantum esse plebano, quoquo casu servanda dispositio testatoris et plebanus illud totum habebit. Si aliquid legatur ecclesiae tantum, tunc plebanus in illo legato habet vel habere debet dimidiam portionem, quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare. Nam nomine ecclesiae intelligitur plebanus, qui est caput ecclesiae, et ipse plebanus debet ali de bonis ecclesiae et non e converso debet ali ecclesia de bonis plebani sive praelati. Et plebanus potest habere proprium sine ecclesia, sed ecclesia nihil habet, quod non tenetur communicare suis ministris. Si vero relinquatur ecclesiae et plebano simul aliquid de tali, est inter eos aequalis divisio facienda. Sed si aliquid legatur plebano et aliquid ecclesiae, tunc de iure communi sive sint aequalia sive inaequalia essent legata, reducenda essent ad canonicam divisionem; sed de consuetudine hactenus quae de iure habenda est, in optione erit plebani an velit dispositioni testatoris esse contentus, an dare suum legatum et cum ecclesia aequalem facere divisionem. Simili modo declaramus et pronunciamus inter capitulum Budissinense, ut vitrici cives et parrochiales ecclesiae praedictae per omnia ut praefertur in singulis punctis praefatam tenere declarationem et specialiter quod testamenta quae fiunt pro fabrica ecclesiae sancti Petri in Budissen dividi debent inter canonicos capitulares integratos eiusdem ecclesiae et vitricos eiusdem aut cives seu alios quoscunque, quorum interest vel sua creditur interesse iuxta modum et formam superius expressam. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum duximus appendendum. Datum Misnae anno domini M° CCC° nonagesimo . . . . die quarta mensis Novembris.

Nach Grundmann cod. dipl. episcop. Misn. V. fol. 1198 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, wo irriger Weise als Jahr der Ausstellung in den Schlussworten 1399 (nonagesimo nono) angegeben ist. Da B. Nikolaus im Febr. 1392 verstorben, ist die Urkunde wahrscheinlich 1391 ausgestellt worden.

No. 724. 1392. 6. Juni.

*Die Administratoren des Hochstifts eignen den vier vom verstorbenen Decan Nic. von Aldenburg in der Domkirche gestifteten Vicarien von den Testamentsvollstreckern desselben im Omsewitz erkaufte Zinsen.*

In nom. dom. amen. Cum singula infra spaeram etc. Nos igitur Ramfoldus de Polenczk et Johannes de Eckirsberge administratores in spiritualibus et temporalibus episcopatus Misznensis vacante sede totumque capitulum ecclesiae Misnensis antedictae ad universorum notitiam praesentium litterarum seriem cupimus pervenire, quod strenuus Johannes dictus Yleburg in Friberg residens, nostrae ecclesiae fidelis dilectus, de consensu et bona voluntate suorum fratrum et heredum ac bona deliberatione praehabita unam sexagenam grossorum Fribergensium et XVII grossos cum duobus hellensibus ac tribus maldaribus siliginis et totidem avenae annui et veri census situati in villa et pago villae Omsewicz districtus Dresedenensis, quem census solvunt et solvere consueverunt subscripti annis singulis in festo beati Martini: videlicet Nyccze de uno manso unum maldare siliginis et tantum avenae, item XXI